DE MUSICES VI IN ANIMOS EJUSDEMQUE IN PLEROSQUE MORBOS...

Lelio Cantoni



DE

MUSICES VI IN ANIMOS

EJUSDEMQUE IN PLEROSQUE

MORBOS EFFICACIA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

IN ANTIQUISSIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE OBTINENDAM

PUBLICE DISQUISITIONI SUBMITTIT

LAELIUS CANTONI

MANTUANUS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1839.



Musica non idcirco a Diis concessa hominibus est, ut aures demulcerentur; sed ut animi perturbationes hujusce voluptatis lenocinio sedentur, atque in ordinem redigantur. Plato.

Multum perpendi, clarissime Director, Professores doctissimi, quid laetissima hac die, qua, confecto studiorum curriculo, ardenter exopto laureae coronae dignitate honestari, in conspectu vestro mihi esset dicendum. Ex variis ac multis, quae animo obversabantur, illud potius placuit seligere argumentum: De musices vi in animos, et ejusdem in plerosque morbos efficacia. Magnum procul dubio et impar viribus meis, in quo pertractando valde timendum, ne ingenii tenuitas rei pulcritudinem inficiat, et naturalis facundiae defectus ejus adimat, vel saltem imminuat, jucunditatem. Quomodo igitur mare hoc ingens ac periculosum explicatis quasi velis ingrediar, quin scopulum aliquem offendam vel naufragium patiar, nisi prius animi vestri humanitatem, propitium quasi sidus, implorem, ut me tuto itinere ad portum perducat?

Verum est atque indubitatum musices vim et jucunditatem harmoniae mirabiliter in animos agere: quin imo tanta est illius efficacia, ut magicis velut artibus, varia in illis affectuum genera

excitet. Innumerabilia paene facta confirmant, hominem, sive sanus sit, sive morbo adfectus, in eo per musicen versari excitationis gradu, ut miras mutationes patiatur, quae certe ex musices vi et efficacia in hominum imaginationem et organa derivant. Narrationes vero, quas saepe saepius in mythologicis libris legere est, uti de Amphione Thebarum fundatore, lyrae sonitu saxa cogente, ut in turres murosque crescerent; de vate threicio ferarum corda cithara molliente, Plutonis et Proserpinae in Erebo ceterorumque Inferni Deorum permulcente animos, Tantalumque ita movente, ut ille sitim oblitus dulcissimas haud biberet lymphas, Ixionis rotae reprimente cursum, pedes Sisyphi et Eumenidum brachia detinente; de Arione circa navim delphinos vocante, ut ab ipsis ad aliam delatus ripam, nautarum minas falleret, et tentatam proditionem; de Circe, quae

Per beltà rara, ma più rara assai
Per l'arte di cantar,
Le selve, i sassi muovere, e le fiere
Implacidire ed i veloci fiumi
Nel corso loro ed arrestar nell'aria
Gli augei solea colla canora voce;

(Metam. Ovid. trad. Bondi)

de Chirone Achillis iras flectente luctumque cithara levante; nonne haec omnia erant allego-

riae, quibus, antiquissimis adhuc temporibus, cum veritas fabulis miscebatur et velabatur, significari solebat, in hominum animos non solum, sed animalium quoque, musices vis et efficacitas? Sed fabulas praetermittentes ad historiam redeamus. Legimus sane Graecos pro variis circumstantiis quadrupliciter musicen divisisse; sonus doricus gravibus religionis cantibus inserviebat, phrygius accendebat furorem, lydius lamenta, aeolius vero amorem voluptatemque exprimebant. Tanta apud illos populos erat musice, ut possimus cum Tissot (*Traité des maladies des nerfs*) affirmare musicalia eorum instrumenta nostris fuisse suaviora. Ita legitur Timotheum Lacedaemone expulsum fuisse quia mutationes in instrumenta induxerat, unde intensior ac vividior soni voluptas evasit, ideoque mores corrumpi potuissent. Sive sit quod Graeci tutiores regulas haberent, ut musice variis occasionibus adcommodarent, sive sit quod natio apud quam tot pulcrarum artium capita extabant, musices quoque artem ad ultimum perfectionis gradum evexerit, vel quod concentus et harmonia apud illos invaluerit magis, ejusque actio eorum animos permoveret acrius, sive ob illa quae refert doctissimus Josephus Carpani epistola undecima ex suis Haydinis.

Quot vero exempla in historia ob oculos no-

bis subjiciuntur, quae potestatem musices et in animos efficacitatem apertissime probant! Illud sacrarum Scripturarum nobis sistitur, ubi

Con arte tal d'un crudo re poteo
L'ire sedar, quando la man distese
Sull'auree corde il Pastorello ebreo.
(Metast.)

Lacedaemones in partes distracti suavibus Terpandri concentibus mutuo foedere iterum se composuerunt. Galenus refert, quod cum musicus phrygio modo sonitus edidisset, duo juvenes ebrietate capti in furias tolli coeperunt; irae vero fuerunt mitigatae statim ac doricam citharam pertractavit. Illud quoque rei nostrae maxime faceret (ab antiquitate enim traditum est), quod Timotheus harmoniae concentibus Alexandrum nunc ad pietatem, nunc vero ad furorem excitabat.

Narrat Athenaeus, quod Argi obsidione a Demetrio Poliorcete posita, cum milites nequirent ingentem machinam ad muros propius ducere, Herodotus megarensis vir robustissimus cum duabus fretus tubis una vice sonitum edidisset, et rumorem undique fecisset, ita eorum animos inflammavit, ut machinam moverent, et ad statutum locum reportarent. Amuratus IV postquam fratres suos morti dedisset, ita a strenuo citharae tractatore lenitus est, ut lacrymarum

fontes ex suis oculis manarent, et rex ipse dolore perculsus vita eumdem donaverit, cui mors miserrima parabatur (Haller Elementa physiolog. in Historia turcica V. C. D. contimir.). Musice execrabilem Neronis ferocitatem molliebat, omniumque spretor legum haud sane musices leges violare audebat. Sapiens Zeno exemplo ductus Pythagorae et Empedoclis musices concentus adhibuit gratia pugnandi aerumnosae Sapphus a Phaone derelictae desperationem; periti harmoniae magistri quotidie eam circumdabant, quaerebat suaviores animaeque suae dulciores harmonias, easque ut repeterent, praecipiebat, atque ita infelicis sane mulieris dolor et tristitia pulcre recreabatur. Veteres antiquitatis sapientes mirabiles musices effectus cognoscere debuerunt, Plutarchus nempe et Cicero; ipsi enim satis apte loquuntur de ejusdem in animos atque mores efficacia. » Nihil tam facile, ajebat Tullius, in animos influere potest, quam varii canendi modi, quorum vix dici potest quanta sit vis in utramque partem; namque et incitant languentes, et languefaciunt excitatos, et tum remittunt animos, tum contrahunt ». Lycurgus vero, ut legimus in ejus vita apud Plutarchum », *con graziosi uffizii e col mezzo dell' amicizia persuase Talete (non il Milesio) rinomato poeta e cantore, da lui trovato*

in Creta, d'andare a Sparta ad ammaestrare quei cittadini; il quale infatti col mezzo di versi di leggiadria pieni e di gravità e col canto gl' indusse a poco a poco ad ubbidienza, mansuefece i loro costumi, di modo che, lasciando il mal animo che aver solevano allora vicendevolmente fra loro, andavano amicandosi essi nello zelo delle cose belle ed oneste (Trad. del Pompei). Musice Arcadiae mores effrenatos compescuit, et Cynaethae incolae harmoniae culturam spernentes, Graecos omnes crudelitate superarunt, neque urbs erat in qua tot scelera patrarentur, ita Polybius.

Sed rudiores populi, nostris etiam diebus, testantur, quantum musice influat in organa nostrasque omnes operationes. In itineribus Piron factum reperitur id confirmans. Cum hujusce naturalistae socii ad occidentalem oram terrae Diemen appulissent, complures illic incolas repererunt, cum quibus susceperunt relationes, cumque isti Diemen habitatores communibus parcis epulis uterentur, Galli eosdem conspicientes, concentibus vocem dare statuerunt, hymnumque bellicosorum hominum virtutem excitantem ipsi attentis auribus audiverunt, epulas cibosque relinquentes, suamque delectationem externis quibusdam signis manifestabant; sonitu durante phantasiae motus reprimebant, sed sta-

tim ac versiculorum ritus cessabat, omnium ore tam dulces sonitus praedicabantur. Juvenis homo inter ceteros videbatur vividiores motus concipere, caput suis manibus defricabat, commovebatur corpore, et iteratos strepitus edebat. Aliud factum referre juvat animadversione dignum, quod apud barbaras gentes, nempe Caraibos, observatum est; neque latet, hunc populum diu restitisse, ne civilibus moribus informaretur, eratque multis abhinc annis frequentissimus in insula s. Vincentii, attamen a ceteris Europae gentibus separatus. Quadam die cum isti festum agerent in ora maris, curiositate ducti illuc accesserunt, plures cecinerunt ipsis harmonias, vultusque barbarorum immotus feritatem adhuc praeseferebat. Paulo post quidam ex adstantibus, illuc ex Parisiorum Lutetiis appulsus, clavicymbali tractatione clarissimus sonavit ac cecinit concentum quemdam celebratissimi auctoris. Statim ac auribus Caraiborum sonitus ille perstrepuit, extraordinario motu perculsi fuere, commovebantur corpore, insolita laetitiae signa clamoresque dare atque saltare coeperunt, tempus cantusque motum accurate sequentes (Dictionnaire des sciences médicales).

Ingens praeterea in belluas ipsas est harmoniae actio. Quomodo igitur summo gradu in homines agere non deberet? Legitur in Decade

philosophique par M. Toscan, quod cum aliqui vellent cognoscere utrum elephas musicen sentiret, ut affirmabat Buffon, et aperte voluptatem, quam ex harmoniae concentu capiebat, patefaceret, tempus ille notavit pluribus proboscidis oscillationibus quam ex utraque parte vertebat, nonnullos simul sonos preferens qui mirifice cum illis cantoris conveniebant. In Journal de l'Empire de France videre est in thesibus Gall de cranioscopia, quod Parisiis. canis erat qui maxime trahebatur in musicen, quod tamquam exceptio in hac animalium specie considerari debet cum generatim canibus non grata esse videatur. Quotidie, hora decima, visus est prope musices cultores ambulare, vespere autem ad spectaculum quoddam se se conferebat, ubi sonus erat et cantus, latens vero sub subsellio bono animo verbera patiebatur, quae pro experimento dabantur illi cum locum suum derelinqueret. Nec novum est equos aspicere musicorum instrumentorum sonitu saltationibus indulgere. Experientia vero demonstrat, illos qui in equitatu excercentur, militares gradus praediligere. Cuiquè patet famosus ille equus de Benachii imperii regii equitis, vulgo saltator appellatus, qui per horae quadrantem, ne dicam plus, cum hero saltare visus est constanter indicans musices, uti ajunt, cadentias. Affirmant iti-

nerantes nonnulli, molliri ingentis in Guajana caudisoni serpentis sonitu cujusdam fistulae aut sibili immanitatem. » Bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt » (Cicero).

Ast praetermittentes bruta, ad homines redeamus. Hominum vox cum primum locum teneat supra omnia musices instrumenta, utpote fecundius, fortius ac magis dives, praeter omnem harmoniam verbum mirifice cantibus elatum nostra potitur imaginandi vi, et quodammodo nosmetipsos rapit, omnes affectus ad animum referens, quos effingit. Juvenis nobili in domo natus cum diu cupiditatibus indulsisset, domum patris deseruit, militiaeque se dedit; iratus pater nec nomen ipsum sibi nunciari patiebatur, epistolas quoque rejiciebat in quibus dolorem suum candide confitebatur, veniamque petebat supplex. Jamque tertius annus aderat, neque patris indignatio adhuc flectebatur. Interim natus hic experientia sat tristi edoctus a matre liberatus est. Sed quis unquam virum flectere atque mollire poterat, si jam et uxori prohibuerat, liberis ac familiaribus, ne tam impium scelestumque hominem tuerentur? En felix astutia, qua irati patris indignationem coercere conati sunt. Innotuerat ipsis quanta traheretur in musicen voluptate, diemque elegerunt quo recurrebat festus dies anniversarius cujusdam ex familia.

Omnes amici et cognati illuc convenerant, nec symphoniae deerant concentusque. Nuncius adventus filii ingreditur. Vae illi, pater exclamat furore inflammatus, si adhuc in publica luce audeat versari. Tandem iteratis precibus cedit amicorum, sed ingredientem adspiciens, furor magis exarsit, torvisque oculis, ne sibi propius accedat, vetat. Adstat tacitus solusque filius; jamque sub finem mensae quisque eumdem hortatur, ut vocem suam, singulari dulcedine ac prope divina praeditam, cantibus explicet; ast ille silet. Pater ex cubiculo exire cupiens, canat quidem ait, siquidem omnes precantur. Juvenis Orpheus extollitur, submisse de musice loquitur, tristesque sonos ac dulcedine plenos emittit celebris praeceptoris Grêtry, cujus subjectum quoddam casu versabatur in filii resipiscentia, patrique suo veniam supplicantis. Nunquam cecinit tam dulciter, singultusque, quos crebro ore trahebat, verborum magis expressionem augebant. O vere harmoniae prodigium! Dum aeger ille cantabat, pater iratus sensim sensimque furore expoliari visus est, et ita flecti, ut demum in lacrymas erumpens filium suum amantissime amplexus sit, eique benedixerit (Dictionnaire des sciences médicales).

Quod si de Ecclesiae cantu sermonem instituamus, dummodo ipse dignitate illa sit plenus,

quam verborum exigit magnitudo, et venerando loco habenda reverentia postulat, qui nobis caelestium concentuum imaginem referat, non vero histrionum repraesentationes, nonne mentes nostras sancte commovet pieque informat?

In meditatione almae Genitricis Dei

Ah non già madre,
Ben trista imago di piangente e d'orba
Mesta e vana ombra, che di forze priva,
Dimessa il volto, scompigliato il crine
Anzi alla croce lagrimando stava,

(Sannazar. De partu Virginis versio Bernardi Trento)

certe commoveri debet pius homo; audiat tamen ipse tam celebrem illam precationem, *Stabat Mater*, a Pergolesio confectam, et tunc lacrymis ipsi non erit parcendum; nam contra generales rei effectus nil valet ratiocinatio, et reapse fletus ab omnibus piis Venetiarum incolis in sacris aedibus profusus est, ubi sacra insignis praeceptoris Bertoni celebrabantur, tum cum angelicus Pacchierotti versus illos modulabatur per se ipsos sat moventes, magis autem a religione sua tristisque animi significatione:

Ingemisco tamquam reus;
Culpa rubet vultus meus;
Supplicanti parce Deus.

Contineat, si possit, lacrymas religiosus vir au-

diens *Miserere* Jemellae, *Psalmosque* Marcelli. » Heu quantum ipsi cor hominis induratum provocant ad adorationem Dei! » Carpani in suis Haydinis affirmat neminem posse, cum die Paschatis *Gloria* Haydin audierit, ab ecclesia discedere nisi laetitia repletus piaque jubilatione.

Nonnulli tamen asserere conantur, se nihil de musice sentire, nullamque in ipsis ab eadem pati vim atque effectum. Plerique sane recensentur qui in hoc dicam quasi aerumnoso statu versantur, et indifferentia alicui corporis organorumque imperfectioni tribuenda est. Quod Euripides apud Plutarchum de poesis adversariis, id a nobis de istis dici potest. » Quoscumque Jupiter non dilexit, non afficiuntur vocem Pieridum audientes. »

Si tam igitur acriter in animos influit harmoniae sonus, facili modo percipitur, quomodo possit musice varios morbos tollere vel imminuere, qui in nervorum mala habitudine reperiuntur. » *Solleticando* (ita Andreas Pasta in suis medicis consultibus) *i nervi dell'udito, e quindi le fibre del comune sensorio, la quale celebrale affezione dell'animo dell'ammalato desta diverse maniere di affetti, intantochè le parti irritate, e quelle che lor corrispondono, ripigliano talora in virtù dello stimolo il pristino tuono, e quell' ordine dei menomi lor componimenti,*

che è necessario allo scioglimento d' un male chè nasoe da sconcerto dei nervi. Egregie etiam Pechlinus: » In omnibus nervis, ubi spiritubus vagis a morbo et diffusis tonus est restaurandus, si ingenium aegrorum eo collimet, multum ego musicae tribuerim, nam et palantes spiritus componit, et languidos nimium iteratis appulsibus ad motum excitat (Observationes physico-medicae).

Antiquorum praesertim, quemadmodum etiam recentiorum, fiducia in medicinali musice virtute nimia certe est judicanda, et nostrae praesentes cognitiones haud sane permittunt, ut cum illis vel istis credamus, musicen esse remedium contra pestilentiam, ipsam rhematismos vincere, ipsam esse venenosis morsiunculis atque punctionibus antidotum, nemo sane in eam adducetur sententiam, musicen phthises sanavisse, podagram aliosque morbos hujusmodi; nequaquam certe, haec omnia ipsa non potest; attamen quoad dolores a quacumque causa productos potest aliquando acriores mollire, nam delicatum auditus organon suaviter sonus musices mulcens molestas sensationes, quasi magica affectio, suspendet. Hominem podagra affectum supracitatus Pechlinus agnovit, cujus intensissimi dolores sonitu harmoniae, quam maximopere diligebat, recreabantur. Concedimus equidem musi-

cen non adeo posse, ut omnia mala depellat; in morbis tamen, cum nihil utilius sit aegroto quàm constantia et animus, *il quale fa riuscire* (ita Joseph Pasta in Tractatu de animo) *meno increscevole la molestia de' morbi procurando la placida sofferenza delle egritudini e la imperturbabile aspettazione, onde essi corrano i necessarii loro periodi; che anima la resistenza alle moltiplicità de' suoi sintomi morbosi; che avviva le secrezioni ed esecrezioni, e le crisi; che corrobora i movimenti e le operazioni di tutto il sistema solidario; che accresce la forza ai rimedii e la condiscendenza alle prescrizioni del medico curante; e della musica fra i migliori effetti quello essendo di destare il coraggio nell' infermità, cui dietro vengono gli altri, cioè del più vivo e più brillante sostenimento dei morbi, del disviamento dell' attenzione, delle meccaniche scosse a certi nervi, coi quali molti altri consentono, e delle benefiche operazioni che sieguono intanto tra l' anima rapita in un dolce incanto e gli organi corporei soavemente solleticati, può esso benissimo contribuire alle loro guarigioni*. Sed in morbis derivantibus a nervosarum virium dissipatione saepe saepius efficacissima evadit medicina. Celeber musices auctor incidit in gravissimam febrim,

septima autem die forti et continua deliratione prehensus est cum clamoribus, fletibus atque terroribus; die tertia mentalis hujus alienationis, quasi naturae ipsius instinctu ductus, precatur ut sibi liceat in cubiculo vocum concentu frui; primis perceptis sonis, facies exhilaratur, non amplius emicant oculi, lacrymas prae delectatione effundit aegrotus, febris omnino cessat. Ast musicorum instrumentorum strepitu cessante, symptomata reproducuntur, qui harmoniae sonitu, secunda vice strepente, ut antea, pariter cessant, ita ut decem dierum spatio absque ullo externo auxilio musice excepta convaluerit (Mémoires de l'Academie des sciences). Legitur in folio medico-chirurgico-germano (Medicinische Chirurgische Zeitung) casus mulieris hystericae catalecticos passae insultus, quos bis sonus fistulae intercepit, tertio autem sensibus destituta est, hinc placido somno quievit, in posterum autem ex iis nervorum tumultibus penitus liberata fuit. Animadversione dignum factum illud est a Pomme enarratum (Des vapeurs de tous les deux sexes) de juvene quadam nervosis affectionibus diutius vexata, quarum prior erat sensuum destitutio, in qua ipsa plura carmina celeritate incredibili memoriter recitabat, quod alioquin ne unum quidem pronunciare potuisset. Dulcis, uti ajunt, *violini* sonitus cerebri

functiones restituit nervosque perturbatos reparavit.

Querinus (Animadversiones practicae) juvenem agnovit, quae violenta animi commotione exagitata, in epilepsiam crebro incidebat. Audiit ipsa nescio quo casu, dum praenuncia morbi signa epilepticum accessum proximum esse indicabant, musices concentus, statimque morbus disparuit; hinc aliis vicibus quotiescumque accessus imminebant, feliciter sonis abigebantur. Morti jam erat proxima illustris femina, jamque funebria symptomata apparebant. Medicus (Bourdois) adspicit e cubiculo exiens citharam; statim cogitatio recurrit, ut a vicino illic stante harmoniae praeceptore pertractaretur. Advocatus prope lectulum morientis apparuit, dulcique ciharae sonitu praesentes recreabat. Quadraginta minutis elapsis medicus sentit eo magis conspici pectoris motus atque celeriores. Magister perstrepebat digitis fortius ac vividius; calor per aegrotae membra diffusus est, sese pulsus extulit et juxta regulas; imo e pectore suspiria trahebantur, e naribus manabant spissae guttae sanguinis; mulier loqui coepit, post aliquot vero dies saluti restituta est (Dictionnaire des sciences médicales).

Certum est ac indubitatum, causam proximam febrium intermittentium sedem suam habere in

nervorum systemate; attamen ignoratur quomodo statuto tempore paroxysmi excitentur; nam saepe soli animi motus validi et subiti febrim intermittentem excitaverunt, et iterum febrim sustulerunt. »Mi trovava in Vienna nell'an. 1779 (ita clarissimus Carpani in epistola nona) ammalato di febbre; sento suonare a sesta in una chiesa vicina alla mia casa; mi alzo e scendo nella chiesa per udirvi un po' di musica. Appena era questa (una Messa di Haydin) incominciata, che dall'incanto di essa mi sentii convellere; poi mi prese un fuoco interno che mi fe' ben presto tutto andare in sudore. Il mio capo si trovò come libero da un peso, una ilarità straordinaria m'invase l'animo, e finita la Messa uscii di là sano e salvo, nè la febbre che per due termini mi aveva visitato, ritornò più ». Vidit etiam Tissot extraordinarium musices actionis in juvenem exemplum, qui post gravem rubeolam, per tres menses, cum in aegritudinis statu versaretur, solemni Missa audita in montis Pessulani urbe, summa perfusus est delectatione, fortior e templo discessit, ab eoque tempore incolumis evasit.

Maxime vero influit musices vis in morbos mentem adficientes, corrigit enim ope auditus nervorum fibras cerebri conturbatas. Phrenetici mente infirmata et mala valetudine animi affecti nulla re magis, quam symphonia et vocum

concentu resipiscunt (Asclepiades). Ita vero argumentatur Masonius in observationibus practicis circa maniam: » Generalmente l'effetto della musica sopra i pazzi sensitivi all'armonia è di raffrenare la intensità delle loro passioni, di temperare l'estrema irritazione che li tormenta, di concatenare i loro pensieri, di ricondurre finalmente un sonno che li ristora. E in fatti, se la musica ha una sì grande influenza nello stato di salute, quanto non ne avrà in una malattia di cui è proprio di esaltare la sensitività, e di rendere l'individuo che n'è affetto, atto a risentire vivamente le più leggiere impressioni? » Visi sunt saepe saepius homines maniaci ac furiosi, cum ferre nequirent medium aliquod curae ordinarium, harmoniae sono statim se quieti composuisse. Vidit Pinelius (Nosographie philosophique) juvenem hysterica quadam insania captam, quamvis cum mens recte se haberet indifferens musice esse videretur, tam mirabiliter a *violino*, uti ajunt, a celebri quodam praeceptore tractato, fuisse affectam, ut asseruerit, usu rationis recuperato, voluptatis quodam sensu se ferri sensisse. Cum pater amantissimus filium suum morte raptum amisisset, cum stupidus quodammodo tam infando casu evasisset, cum spiritus perturbatione, magnis pectoris anhelationibus, doloribus etiam hypo-

chondriacis postquam longo temporis spatio musicen amisisset, qua delectabatur maxime, singulis diebus, casus eidem monstravit admirandum Paisielli oratorium; cumque eo temporis dulcissimam cantus modulationem in mentem revocaverit, placuit ipsi eamdem repetere; fletus, qui eo usque prae nimio dolore comprimebatur, illico genas rigat, ac tandem cantu defatigatus, sparsoque lacrymarum flumine, tunc primo sensit post tres menses somni necessitatem, a quo confirmatus, cum expergisceretur, illam quoque cibi cognovit. Cantus tribus diebus eadem commotione iteratus, eumdem liberavit, non cordis vulnere, quod a morte solummodo in amantissimo patre tolli poterat, sed ab animi morbo ceterisque physicis cruciatibus (Dictionnaire des sciences médicales).

Et sane si tam utilis est musice eamdem ignorantibus, quantum non erit ejus peritis, praesertim si animi moestitia afficiuntur, quae sensim sensimque valeat nervorum organismum perturbare?

Quod si nullo respectu habito ad animi avocationem, quam sibi quisque comparat, vel in tractando aliquo instrumento (loquor verbis Puiati), aut cantando, vel studendo, quod auctor sibi exprimere constituerat, gratia ac venustate quod canit, sonatve ornando, ut aliorum auribus bene

perstrepat, et jucundum fiat, quae suavissima animi avocatio per se valet eumdem a suis morbis tutum reddere, quam efficacitatem cantantis in animo non habebit, dulcis sonus, aut commovens harmonia ab ipso creata, ac pulcre confecta? Ita clarissimus medicinae doctor Benedictus Frizzi in raris brevibusque ludis suis, moestis concentibus elicit ex oculis lacrymas prae dolore illum vexante interius vi pressa, cum invida mors dulcissimam natam sibi rapuisset annorum limine, quae deliciae patris erat et jucunda voluptas, atque ita fletibus vultum irrigans cordi moerenti divexatoque affert aliquid oblectamenti. Horatius lyram suam malorum consolatricem vocat:

O decus Phoebi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen!

Desiderandum sane foret ut musice crebrius adhiberetur, atque confideremus certe, ut optime Tissot testatur, meliores effectus saepius ipsam esse parituram, quam ingrata injucundaque remedia. Absque violentia utimur hujusmodi medicamine, quousque libet repetitur, eo magis protrahitur, quo magis necessarium fore putamus, nec unquam tristia habere potest consectaria. Quod si etiam morbis causam depellere non posset, id praestaret, ut morbi sensus aliquantulum leniretur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Ad vitam organicam et animalem sustinendam motus omnino necessarius est.

II.

Quicumque morbus ad nervos usque proserpit, stabilis fit et pertinax.

III.

Apoplexia gravis numquam, levis difficile sanatur.

IV.

In medicina facta manent, hypotheses avolant.

V.

Quamvis aetheres externe adpliciti effectum eumdem, imo majorem ac glacies producant, attamen in encephalitide minime adhibendi sunt.

VI.

Mater non est, quae, dum potest, ubera proli, cui vitam dedit, dare recusat.

VII.

Hydropes recidivas amant malas.

VIII.

Febrium intermittentium conditio pathologica hucdum denso velamine tegitur.

IX.

In gravidis intermittentes frigore valido et protracto stipatae abortum facile inducunt, vel partum praematurum.

X.

Subjecta hypochondriaca et hysterica a febribus et exanthematibus epidemice regnantibus plerumque perstant immunia.

XI.

Chloroticae saepe manent steriles, aut abortus facile patiuntur, aut imbecilles pariunt proles.

XII.

Cophea arabica deprimens.

